

1. Universis presentes litteras inspecturis Godefridus dei gratia abbas monasterii sancti Pantaleonis in Colonia ordinis sancti Benedicti salutem et cognoscere veritatem. Noveritis
2. nos litteras infrascriptas non cancellatas non abolitas nec in aliqua sui parte viciatas veris sigillis sigillatas ut prima facie apparebat vedisse tenuisse et legisse
3. in hec verba. *Nos frater Walterus commendator domorum Theutonicorum in Confluentia et in Colonia ceterique frates domus Theutonice sancte Katerine in Colonia universis*
4. *presentes litteras inspecturis. Notum facimus et tenore presencium profitemur, quod, cum Thilemannus et Hildegundis, coniuges, filia Drude de Lorechem, cives Colonienses,*
5. *venditores piscium, se et sua nostre domui in elemosinam contulissent, reservato sibi et unicuique eorum in solidum usufructu bonorum suorum, dicto Th[ilmanno] viam*
6. *universe carnis ingresso, dicti Hildegundis se ad domum nostram transtulit in habitu becginarum et nobiscum convenit, quod nos concessimus sibi soli came-*
7. *rulam sitam in domo nostra contigua cimiterio nostro et hospitali et cum sororibus nostris comedet et bibet de cibariis secundum quod de domo nostra eisdem*
8. *sororibus ministramus. Et dabit nobis pro comedere annis singulis quatuor marcas Coloniensium denariorum et se vestiet de suo et habebit conversationem re-*
9. *ligiosam et honestam, ita quod fratres deceat et sorores alioquin tam fratres quam sorores, quo ad mansionem et curmedium erunt, ab ipsa penitus*
10. *exonerati et ipsa de consilio fratrum ad alium locum se transferet, ad morandum et vivet continenter, ita quod si alicui nupserit marito,*
11. *a pensione infrascripta erimus penitus absoluti. Preterea dicta Hildegundis dedit nobis centum marcas Coloniensium denariorum, quas locavimus in comparationem*
12. *bonorum, de quibus bonis eidem ad tempora vite sue singulis annis nomine pensionis dabimus triginta et quatuor maldra siliginis et sex*
13. *maldra tritici Coloniensis mensure, presentando ipsa sibi nostris laboribus periculis et expensis. Et ipsa mortua omnia bona, que reliquerit tam mo-*
14. *bilia quam immobilia, nobis cedent et dicta pensio conquiescat et ipsius memoriam faciemus. Si vero ordinem fratrum assumere voluerit ipsam reci-*
15. *piemus et ususfructus accrescit proprietati et ipsam procurabimus in victu vestitu et aliis necessariis, sicut unam de consororibus nostris con-*
16. *suevimus procurare, et nobis omnia bona sua mobilia presentabit. Si autem se ad alium locum transtulerit, ab morandum ipsam pensionem suam*
17. *annone quam diu vixerit secundum conditiones suprapositas assignabimus singulis annis, ita quod bona sua tam mobilia quam immobilia a domo*

18. *nostra non divertet nec modo aliquo alienabit. In cuius rei testimonium atque fidem sibi presentes litteras commendatoris et domus*
19. *sigillis tradidimus communitas. Actum et datum presentibus Richolfo presbitero, Theoderico vices nostri commendatoris gerente, Reynardo, Ger-*
20. *nando de Werdene, Theoderico de Paffinhoven, Johanne, Henrico de Aquis, fratribus domus nostre in Colonia et aliis quam pluribus anno domini M° CC° sexagesimonono mense Augusti.*